



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dispytatio IX. De reliquis sensibus externis & eorum objectis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

sed has non dari probatum est supra, ergo nec illæ dantur.

xiii. Confirmatur ut ante de sono; odor est per seipsum omni casu sufficienter approximatus & proportionatus sensui; sed species tantum requiruntur ad approximandum & proportionandum objectum suæ potentia; ergo, &c. Probatur minor in gustu & tactu, in quibus omnes communiter negant species distinctas, quia ipsorum objectum est per seipsum sufficienter approximatum & proportionatum: ergo, &c. Probatur major solutione argumentorum.

xiv. Probatur 2^a. pars probatione primæ partis supra dubio 20.

xv. Dices, tam est credibile corpora odorifera ad tantum spatium suam substantiam exhalare, quam sit credibile particulam thuris exhalatione sua totum cubiculum infumare, ergo odor per totum spatium diffunditur per evaporationem substantia; seu spiritus odoriferi. Probatur antecedens: quia exhalationes aliorum corporum sunt multo subtiliores fumo thuris.

xvi. Respondeo negando assumptum, quia magnum quodcumque cubiculum, nihil est respectu spatii, per quod totum, odores diffunduntur, & vultures illos sentiunt: deinde etiam incredibile est odorem thuris in sola evaporatione thuris sentiri, nam si supra aquam thus comburas, intra aquam senties odorem, non secus ac pisces sentiunt de profundo maris panem, nullus tamen fumus intrat aquam.

xvii. Probatur 3^a. pars, ultra illud spatium in quo odor in exhalatione & spiritu subtili percipitur, non percipitur per species, uti contra Murciam, Fromondum & Poncium probavimus, pro-

bando conclusionem pro 1^a. parte; ergo immediate per seipsum.

xviii. Probatur 4^a. pars: quia cæteræ qualitates secundæ uno sensu externo perceptibiles, ut sonus, color, &c. non producant tibi simile, ergo nec odor: quod enim P. Ovid. id refundat in particularem naturam illarum, diversam à natura odoris, nihil refert, quia, ut inquit P. Arriaga hic num. 62. ad occultas rerum naturas recurrere, quando difficultates aliunde sufficienter possunt explicari, magis est obstinati in aliqua sententia animi, quam Philosophi puram veritatem anhelantis.

xix. Confirmatur, omnis experientia odorum sufficienter explicatur absque eo, quod odor odorem producat; nam quomocumque producit odor semper adest aliquod corpus odoriferum, aut exhalationes ejus, quæ, ut corpus sonorum sonum per totam suam spheram, odorem suum diffundunt, & tamdiu durant, & tam tenaciter aliis corporibus adhærent, quam ipsimet odores in sententia Arriagæ (pro quorum definitione, cum contrarium non habeant, recurrere debet ad occultam naturam fluxam ipsorum, quod in aliis reprehendit) scilicet, quamdiu aliquid suæ substantiæ exhalare possunt, nec antea, in aërem vel alia corpora convertuntur. Hinc

xx. Patet 1^o. cur canes leporem prosequantur fugientem a verso vento; exhalat enim lepus spiritus aliquos odoriferos in terram, qui aliquamdiu manent.

xxi. Patet 2^o. sic nos clare explicare quomodo desinant odores, non recurrendo ad occultam naturam fluxam ipsorum, uti recurrit Arriaga, eod quod alioqui cum contrarium non habeant, numquam desinerent.

DISPUTATIO NONA.

De reliquis sensibus externis & eorum objectis.

DUBIUM VNICUM.

Quid gustus & tactus & quæ eorum objecta?

RESOLUTIO I.

I. Ico 1^o. gustus est potentia sensitiva saporis; tactus verò potentia sensitiva quatuor primarum qualitarum, mollitiei, duritiei, gravitationis, & plurium per solam experientiam cognoscibilium: unde sapor est objectum gustus: dictæ omnes qualitates objectum tactus.

RESOLUTIO II.

II. Ico 2^o. objectorū tactus & gustus non dantur species gustabiles & tangibiles; ratio est quia non gustantur & tanguntur nisi approximata, & sunt seipsis satis proportionata ad gustationem & tactionem.

III. Dices tamen, si objectorum odoratus, de quo supra, & tactus non dantur species odorabiles & tangibiles, ut quid aperto poculo, in quo est electrum, sentimus summum odorem, aperto fornace magno igne accenso, sentimus vehementem calorem, & illis clausis, ferè nullum?

IV. Respondeo id fieri, quia illis apertis multi

spiritus odorum, & ignis emittuntur, qui quia in initio parum tenaciter hærent, fit ut ad modicum motum aëris removeantur à nobis, & illis clausis vix sentiantur.

v. Instabis, si electrum & ignem per illos spiritus sentiremus, nec electrum, nec ignem sentiremus contra commune pronuntiatum.

vi. Respondeo nos electrum & ignem sentire, eo modo, quo supra diximus nos sonum campanæ ultra primum gyrum audire, scilicet mediæ ac improprie. Nec multum curandum est commune pronuntiatum, quod fundatur in vulgari apprehendendi modo, quia, ut rectè notat Ovidius de anima tract. 13. puncto 16. multoties res aliter attingit quàm in se sint.

vii. Dices 2^o. Aristoteles hic cap. 2. dicit sensum recipere formam sine materia, per formam autem ex communi intelligit speciem.

viii. Respondeo Aristotelem ibi sensum sumere pro visu famosiore suæ specie, quomodo etiam sumit sensum, quando ibidem dicit sensibile positum supra sensum, non sentiri. idq; respondemus conformiter ad placitū Hippocr. & Plat. de quibus Galen. lib. 7^o. hæc refert: ut gustus atque alii sensus fiant, opus est, ut ad animantis corpus perveniat ipsum sensibile; visus autem per medium aërem ad coloratum extenditur.

DISPV.